

**VARIARUM LECTIONUM PARTICULA AL-
TERA, QUAE ALIQUOT CICERONIS LOCI
EXPEDIUNTUR E LIBRIS DE FINIBUS
BONORUM ET MALORUM.**

Quum aliis curis occupato subito mihi hoc tempore latine scribendum esset quod his annalibus gymnasii nostri praemitteretur, placuit iterum Ciceronis aliquot locos tractare. Sumpsimus autem tres impeditiores e libris, qui sunt de finibus bonorum et malorum, in quibus operae pretium facturi videbamur; si, quae Madvigius, princeps ille hodie Ciceronis interpretum, aliis vel corrigenda vel recte interpretanda reliquisset, nostra opera conficeremus.

Et quemadmodum defendendi quam accusandi magis gratum munus esse solet, ordiri placet a defendenda integritate loci, qui in his libris unus omnium desperatissimus habetur. Est is lib. I. cap. 7. §. 23., ubi et excidisse verba haud pauca queruntur, et quae servata sunt turpiter perturbata et corrupta esse censent.

Lacunam omnes esse clamant ante verba *Confirmat autem illud vel maxime*. Madvigius, qui hunc locum etiam in Praefatione p. 20. in apertarum, quae in ipso archetypo codice fuerint, lacunarum exemplis posuit, in commentario: Patet, inquit, excidisse in nostris codicibus finem reprehensionis alterius partis et initium eorum, quae ad tertiam partem, ethicam, pertinent. Nobis nihil excidisse persuasum est, omnemque eam suspicionem interpretum errore natam credimus, qui nec quam verba vim haberent satis perspexisse, et consuetudinem quandam auctoris omisisse videntur. Et illud quidem omnino exputare non possumus, qua ratione Madvigius eorum, quae ante posita sunt, finem excidisse suspicatus sit. Illa enim ita integra

oratio est, ut non possit magis. Quid est enim, quod merito desideres? Nam et comprehensa sunt, quae dicta oportebat, et verborum compositio ad finem usque eam habet speciem, ut, quod mutilum et decurtatum videri possit, nusquam appareat. Brevitas vero hujus loci, quum et de physicis ante pluribus sit disputatum et deinceps fusius explicetur de ethicis, non est quod offendere possit. Nam disserendi artem quum Epicurus, ut paullo post est cap. 8., nullam habuerit, non mirum est, si pauca contra dicuntur: nihil enim erat, quod diceretur, nisi praetermissas ab eo esse disserendi artis partes maximas; cui quod subjectum est, cognoscendi, aut veri et falsi discernendi, rationem omnino ab illo perversam esse, qui omne de ea re iudicium in sensibus posuerit, ea reprehensio gravissima omnino talis erat, qua hic locus recte concluderetur. Illud certe nihil attinebat, ut fere omnes et singulae hujus disciplinae partes commemorarentur, uti factum videmus lib. IV. cap. 4., ubi nullam ejus partem praetermissam esse docetur a Peripateticis. — Verum haec quum ne speciem quidem ullam habeant lacunae, eam quae sequitur orationem certe quodammodo ad fallendum compositam esse concedimus. Nam omissum videri potest, quo notetur, triplicis reprehensionis jam tertiam sequi partem, eaque pars quam ad rem pertineat. Sed in hoc valde vereor ne mire interpretes fefellerit vana species. Et primum quidem reputandum est, quum fere communis sit veterum in disserendo consuetudo, ut partes disputationis non ubivis ita accurate, ut hodie plerique solent, certis quibusdam quasi notis distinguant, ea libertate vel maxime hunc scriptorem uti solere, quem praesertim ubi putida diligentia orationi molestiam allatura videatur, scite declinare constat verbis eleganter variatis. Hoc igitur qui meminert, certe non talem hoc loco orationem desideraverit, qualem a Marso fictam accepimus: *In tertia vero parte, quae est de vita et moribus, in constitutione finis, nil generosum sapit atque magnificum.* Quo supplemento sane effectum fuerit, ut simillimum ac paene geminum hujus loci initium habeamus illi *Jam in altera parte philosophiae, quae est quaerendi et disserendi, . . . iste vester plane . . . inermis ac nudus est:* sed ista ipsa non tantum inelegans fuerit similitudo, sed etiam alio modo vitiosa. Nam primum intelligi velim, quod in promptu est, reprehensione illa *nil generosum sapit atque magnificum* male praecipi, quod ab auctore suo loco deinceps positum est verbis longe gravioribus *ut nihil homine videatur indignius.* Quippe auctoris oratio ita procedit, ut primum breviter sententiam Epicuri de summo bono declaret, deinde comparata Aristippi Cyrenaicorumque auctoritate suum iudicium apponat. Sed quovis modo ineptum illud supplementum esse, ut, etiamsi in omnibus codicibus esset, haud cunctanter expellendum esset, tum demum plane persuasum erit, quum, quam vim habeant verba *Confirmat autem . . . dolorem,* omnino patefecerimus. Atque hoc jam

agamus, ita, ut id ipsum, quod omissum affirmant, in his quae servata sunt contineri doceamus.

Quid est igitur, quod in hoc oratione male omissum queruntur? Desiderari dicunt, quo significetur, jam ad tertiam partem, ethicam, transiri. In hac vero reprehensione non inutile erit duo illa discernere, de quibus supra monuimus: unum, quod significatio ethicae, de qua jam futura sit disputatio, ommissa sit; alterum, quod transiri jam ad ethicam non sit indicatum. Videamus de utroque seorsum: quamquam fieri non poterit, quin, de priori quum dicemus, simul attingamus alterum. Nomina igitur haec ethicae aut tertiae partis philosophiae sane nusquam apparent: at rem ipsam, quam requirunt, ita aperte declaratam esse contendimus, ut difficile sit non agnoscere, modo, quae sit vis verbis subjecta, plane perspicias. Scilicet non ipsam ethicam auctor appellavit, sed quasi materiam, in qua ethica Epicuri omnis versatur, voluptatem, in qua ille summum bonum esse voluit. Itaque similiter locutus est atque infra lib. IV. cap. 6., ubi, postquam de dialecticis et physicis expositum est — cf. cap. 4. *Sequitur disserendi ratio cognitioque naturae* —, sic transitur ad ethica: *Nunc videamus quaeso de summo bono, quod continet philosophiam, ecquid tandem attulerit etc.* Et magis etiam comparandum est, quod in hac ipsa disputatione deinceps sequitur lib. I. cap. 8., ubi ad omnem hanc reprehensionem respondetur a Triario: *Aliena dixit in physicis*)*.... *Disserendi artem nullam habuit. Voluptatem quum summum bonum diceret, primum in eo ipso parum vidit: deinde hoc quoque alienum.* Similiterque in eodem capite §. 28. haec composita sunt: *De physicis alias*.... *Nunc dicam de voluptate.* — Atque hoc uno indicato nescio an sapientibus satis sit simpliciter quaerere, quid tandem magnopere differre existiment haec duo: Epicurus maxime versatus est in defendenda *voluptate*, in qua summum bonum esse voluit, et Epicurus maxime versatus est in *ethicis*, summumque bonum voluptatem esse docuit. Tantum vero, hoc est, si rem spectas, nihil, nos interesse contendimus inter illud, quod ex omnibus libris excidisse queruntur, et hoc, quod in omnibus libris conservatum habemus. Atque animadvertendum est, non esse simpliciter voluptatem appellatam, in qua defendenda maxime Epicurus elaboraverit; sed praeterea haud obscure significatum esse, in voluptate finem illum posuisse bonorum. Nam talem vim habent verba, quae infra accuratius explicabimus,

*) Cap. 6. lib. I., ubi post verba „in physicis totus est alienus” a Madvigio pro absurdo „Democrito adjicit perpauca, mutans” optime restitutum est „Democritia dicit, perpauca mutans”, vellem comparasset lib. IV. cap. 5. Equidem etiam Epicurum, in physicis quidem, Democritium puto.

illud, quod ipsa natura, ut ait ille, sciscat et probet, hoc est, quod ipsa natura ut summum bonum commendat, aut, quod ipsam naturam ait summum bonum esse judicare. Atque eodem pertinent quae subjecta sunt: *ad haec, et quae sequamur et quae fugiamus, refert omnia*: nam is ipse finis est honorum, ad quem omnia sint referenda. — Itaque hoc quidem satis persuasum arbitramur, ethicae disciplinae Epicuri significationem haec verba habere tantum non manifestam, si quidem res ea appellata est, in qua ethica Epicuri omnis versabatur, voluptas, quem finem ille esse docebat bonorum, cui quomodo malorum finis adjunctus sit dolor, infra explicabimus.

Sequitur, ut videamus, quid et quale sit id, quod dictum est de summo bono Epicuri: quo simul continetur alterum, quod supra quaerendum esse diximus de modo, quo transitus ab altera ad tertiam partem factus videretur. Ait igitur auctor, *confirmare Epicurum vel maxime illud, quod etc.* Hoc quam vim habeat, quamquam minime obscurum est, tamen non satis intellectum esse puto ab interpretibus, qui alioquin facile ad omnem hunc locum expediendum rectam viam invenissent. Tenet autem confirmandi verbum hoc loco eam quam plerumque vim habet, quum in disserendo aliquid rationibus aut argumentis confirmari dicitur, ut intelligatur stabiliri, quod ab aliis labefactari, defendi, quod ab aliis impugnari videatur: similique omnino modo deinceps ipsum defendendi verbum positum est in illis *Quod quamquam Aristippi est a Cyrenaicisque melius liberiusque defenditur*: quamquam ibi omnem sententiam, quam secutus sit Epicurus, melius defendi a Cyrenaicis intelligitur. Quod autem additum est *vel maxime confirmat*, sentitur, omni quo possit tamquam firmamento Epicurum uti ad stabiliendum illud, quod ipsa natura sciscat, hoc est, summopere illum elaborare, ut illud defendat et obtineat. Tum vero non negligendum est, quo consilio id verbum ab initio positum sit hujus orationis. Etenim quum antea dialecticam Epicurum adeo neglexisse dictum sit, ut paene nullam habeat, jam contrarium dicitur de ethica: hanc enim diverso longe modo ab eo tractatam esse, ut plurimum in ea operae et diligentiae posuerit, scilicet, quo defenderet illud, quod ipsa natura sciscere videretur, voluptatem. Itaque qui modo in dialectica segnis, quin inermis et nudus deprehensus est, idem jam fortiter confirmare dicitur illud, in quo summum bonum esse velit, de quo summa est disputatio in ethica. Haec quin optime conveniant, non intelligo qui dubitari possit. Nec fortasse cuiquam in mentem venisset dubitare, si scriptum esset *Confirmat autem vel maxime illud, quod ipsam naturam sciscere ait, voluptatem summum bonum esse, summum malum dolorem*: nunc nebulam offudisse videtur, quod id ipsum paullo alio modo dictum est, praeterea quae alia quaedam in reliquis verbis superest obscuritas, quam mox viderimus recte interpretando facillime tolli. Antea enim non alienum videtur alia quaedam

admonere. Primum enim non vereor, ne in verbis *Confirmat autem illud vel maxime* justo levior videatur in transitu autem particula. Ea offendi non possunt, quibus consuetudo Ciceronis cognita est. Quamquam nonnunquam talia offensioni fuerunt hominibus eruditissimis. Veluti in hujus operis lib. V. cap. 4., ubi partes perlustrantur Peripateticorum disciplinae, postquam de physicis dictum est, sic pergitur *Disserendique ab iisdem . . . praecepta sunt tradita*: quo loco etiam Orellium levior quae particula ita fefellerat, ut non sentiret novam partem incipi. — Deinde animadvertimus, in verbis *Confirmat autem illud vel maxime* aptissime *illud* pronomen ita esse positum, ut demonstraretur ad rem novam diversamque ab ea, de qua ante dictum est, transiri. — Tum vero, quod ad conjunctionem attinet verborum, omitti nolim, non simpliciter positum esse *Confirmat Epicurus voluptatem*; quod quamquam quodammodo videtur dici potuisse, ut intelligeretur causam defendit voluptatis, certe duriuscule et praeter consuetudinem dictum esset: sed scriptum esse *Confirmat illud, quod ipsa natura, ut ait ille sciscat et probet, id est voluptatem*; quod ab illo haud paullo differre senserint, qui norint, quanto liberius pronomina neutrius generis, quam nomina substantiva, cum verbis componi soleant. Posito autem *illud* pronomine sine ulla duritiae reprehensione apponi potuit *id est voluptatem et dolorem*.

Denique veniamus ad expedienda ea, quae praeterea in his diximus obscura et dubia videri posse. Plane enim nobis persuasum est, in omni hoc loco, uti nunc Madvigii diligentia ex optimis codicibus restitutus est, nihil perturbatum aut corruptum esse, sed omnia se rectissime habere. Quod ut demonstramus, duo potissimum explicanda sunt: unum, quomodo *sciscendi* verbum sit positum; alterum, quomodo post verba *sciscat et et probet* recte *voluptatem et dolorem* auctor appellare potuerit, quasi eadem natura has res duas diversissimas sciscere et probare videatur, quarum Epicurus alteram appetendam, alteram fugiendam natura esse docuerat. Hanc enim dubitationem totum illud peperisse apparet, quod ante Madvigium edebatur, *adsciscat et reprobet*, quorum verborum alterum ad voluptatem, alterum ad dolorem recte referri videbatur: nam de usu reprobandi verbi ne quaerebant quidem. Et *sciscat* quidem verbo ut offenderetur, illud maxime fecisse videtur, quod hanc orationem nimis ab hujus scriptoris consuetudine alienum esse senserunt, *natura sciscit voluptatem*. Itaque scripserunt, quod in proclivi erat, *adsciscit*. Nam hoc aptum videbatur, quoniam alias etiam *adscisci* eodem modo quo appeti dicuntur, quae sint prima a natura data. Veluti lib. III. cap. 5. scriptum est *rerum cognitiones . . . propter se adsciscendas esse*, et paullo ante simili modo appellata sunt *quae prima appetuntur et quae prima adscita natura*: tum lib. V. cap. 7. est *Voluptatis alii primum appetitum putant et primam*

depulsionem doloris: vacuitatem doloris alii censent primum adscitam et primum declinatum dolorem. — Deinde autem quum recte scribi videretur *adsciscit*, consentaneum duxerunt, quoniam sequeretur *voluptatem et dolorem*, locutum auctorem esse de alterius appetitione, alterius repulsione: itaque quum disconveniret *probet* verbum, bono animo correxerunt *adsciscit ad reprobet*, de reprobandi verbi usu, de quo vera docuit Madvigius, unice securi. Ita unus error traxit alterum. At primum immerito *sciscat* verbum offensionis fuit. Manifestum est enim, ipsius Epicuri vocem quandam hoc loco referri, quam auctorem accurate expressisse indicant verba *ut ait ille*, quae, praesertim post *Confirmat* illud, quod ipsum pertinet ad Epicurum, certe non interposuisset, si suis verbis illius sententiam declarasset, quum autem interposuerit, ipsam illius vocem graecam latine interpretatus videri voluit. Quodsi graeca illa verba Epicuri, quibus in aliquo de multis, quos scripsit, libris usus erat, nunc superessent, duplici testimonio uteremur: nunc uni credamus Ciceronis, pronunciatum alicubi ab Epicuro paulo insolentius esse, voluptatem tale esse, quod ipsa natura *scisceret* et probaret. Dixerat ille fortasse voluptatem τὸ κεκρωμένον ἢ π' αὐτῆς τῆς φύσεως aut ἡψίσιμα αὐτῆς τῆς φύσεως, quod tamquam majore quodam quam populi, quod divina ipsius naturae auctoritate scitum et decretum esset.

Sed hoc quum indicasse satis videatur, alterum, de quo esse potest dubitatio, certe non minus facile explicatu arbitramur. Quippe non animadvertent interpretes, quod post verba *sciscat et probet* deinde positum est *voluptatem et dolorem*, in eo nihil nisi negligentiam quandam observandam esse, quam qui corrigere voluerit, ipsum auctorem correxerit. Est autem negligentia omnis in eo, quod quum unam voluptatem appellari oporteret, quam scisci et probari a natura intelligeretur, voluptati auctor quod contrarium est adjunxit, dolorem. Quod nisi aliis exemplis probari posset ab ipso auctore ita compositum esse, multis rem incredibilem narrare videremur: sed sunt in his ipsis libris plura simillima, quorum forte oblitus ad hunc locum erat Madvigius, qui probe novit hoc genus, et alias ipse subtiliter et recte, ut solet, explicuit. Etenim ut sunt natura conjuncta contraria, ut alterum fere spectari non possit, quin compares alterum, ita etiam in sermone facile fit, ut, de rebus contrariis quum disseritur, earum unam ubi spectes, simul quamvis leviter respicias alteram: ex quo oratio nonnunquam speciem induit negligentiae, siquidem appendix contrarii plerumque inutilis, nonnunquam etiam inepta videri potest. Hujus generis in hoc opere primum exemplum est lib. I. cap. 9. *Quaerimus igitur, quid sit extremum, quid ultimum bonorum: quod omnium philosophorum sententia tale debet esse, ut ad id omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam. Hoc Epicurus in voluptate ponit, quod summum bonum esse vult, summumque*

7

malum dolorem. In quibus apparet, quum ante de uno bono summo dictum sit, appendicem illam *summumque malum dolorem* negligentius additam esse e contrario, quoniam, summum bonum Epicurus quid esse voluisset, profitenti facile occurrebat simul commemorare, malum summum idem qua in re convenienter posuisset^{*)}. Simillimam huic appendicem ad contrariam partem spectantem ipse Madvigius notavit lib. I. cap. 12. *Quodsi vita doloribus referta maxime fugienda est, summum profecto malum est vivere cum dolore; cui sententiae consentaneum est, ultimum esse bonorum cum voluptate vivere.* Continuat enim post hanc appendicem de dolore disputatio. — Sed in his locis illae, de quibus quaerimus, appendices contrarii totas sententias continent. Sunt autem alii nostro omnino similes, in quibus eodem modo singulis nominibus singula nomina sunt apposita. Ex eo genere est is, quem ipse Madvigius ad cap. 12. lib. I. comparavit, qui est lib. V. cap. 30.: ubi, quum novata a Stoicis nomina bonorum et commodorum commemorantur, in his appellantur *ista producta et reducta*, quorum prius tantum bonorum nomen est, alterum, quod e contrario adjectum est, malorum. Eiusdem autem modi est alius locus, in quo Madvigius quamquam verum vidit, tamen minus dubitanter iudicasset, si meminisset eorum, quos postremo locos comparavimus: lib. IV. cap. 17. §. 47. *Quibus natura jure responderit..., errare Zenonem, qui in nulla re nisi in virtute aut vitio propensionem ne minimi quidem momenti ad summum bonum adipiscendum esse diceret.* Ad quae Madvigius: Mihi non prorsus certum est, nullo modo fieri potuisse, ut quum consuesset Cicero virtutis et vitii mentionem conjungere, quae sola ad vitam momenti aliquid habere Stoici putarent, hic quoque, quamquam de adipiscendo summo bono dicens, utrumque negligentia quadam nominaret, obscure contrariam propensionem ad miseram vitam complectens. Quae mutatis verbis virtutis et vitii fere tota in illum, ejus causa haec disputamus, locum transferre licet, quo defendimus *voluptatem et dolorem* lib. I. cap. 7. Etenim quum instituisset auctor orationem ita, ut confirmare Epicurum vel maxime dicturus esset, quod ipsa natura judicante summum bonum esset, voluptatem, adhaesit huic e contrario, quem ille summum malum esse voluit, dolor; fere similiter ac cap. 9. *Hoc Epicurus in voluptate ponit, quod summum bonum esse vult, summum-*

^{*)} In eodem cap. 9. lib. I. corrupte scribi necesse est, quid aut ad naturam aut contra sit, a natura ipsa judicari, a multis intellectum est. Nos non tantum inaudito illo apud Ciceronem ad naturam esse offendimur, sed etiam bis posita aut particula, ubi semel positam oportebat. Hinc prius aut, merito suspectum, corruptum putamus rescribendumque quid aptum ad naturam aut contra sit.

que malum dolorem. Sed ne quid obscuritatis aut ambiguitatis esse posset, continuo subiicit: *ad haec et quae sequamur et quae fugiamus, refert omnia;* quibus accurate distinctum est, diversas ab Epicuro voluptati et dolori partes tributas esse. Et potuisset sane auctor ita hanc componere orationem, ut nemini interpretum scrupulum injiceret, fere in hunc modum: *Plurimum autem operae in explicanda illa parte ponit philosophiae, quae est de summo bono et summo malo, quorum illud in voluptate, hoc in dolore esse vult ipsa iudicante natura.* Sed quis invidet auctori, quod ipsi scribere placuit multis partibus elegantius et ad sermonis quam aemulatur gratam negligentiam accommodatius? Nos fere sic interpretabimur: *Vor allem aber wirft er sich mit Macht auf das, was, aut, quod alio modo magis respondebit: Stark aber zeigt er sich vor allem in dem, was die Natur selbst, wie er sich ausdrückt, verordne und gut heisse, in der Lust und dem Schmerz: darauf geht ihm all unser Streben, all unser Meiden. Eine Lehre, die zwar von Aristipp herrührt, und von den Cyrenaikern besser und ehrlicher vertheidigt wird, nach meiner Ansicht aber den Menschen auf das tiefste entwürdigt.* Ex qua interpretatione simul apparere volebamus, verba *ad haec . . . refert omnia* non recte separari a praecedentibus. Scripsisset auctor *ad quae*, nisi ista nimis molesta exstitisset oratio, *ad quae et quae . . . et quae.*

Deinde duos locos, in quibus interpretandi artificii nihil efficitur, vitiis liberemus manifestis, alterum, ut nobis videmur, certa, alterum valde probabili conjectura.

Lib. II. cap. 23. sic disputatur: *Amicitiae vero locus ubi esse potest aut quis amicus esse cuiquam, quem non ipsum amet propter ipsum? Quid autem est amare, e quo nomen ductum amicitiae est, nisi velle bonis aliquem affici quam maximis, etiamsi ad se nihil ex iis redeat? — Et prodest, inquit, mihi eo esse animo. — Immo videri fortasse. Esse enim, nisi eris, non potes. Qui autem esse poteris, nisi te amor ipse ceperit? quod non subducta utilitatis ratione effici solet, sed ipsum a se oritur et sua sponte nascitur.*

In his certe permira videri debent verba *Esse enim, nisi eris, non potes.* Madvigius obscuritatem queritur. Nos turpiora videre videmur, quae incredibile sit ab auctore profecta esse. Sed primum Madvigium audiamus. Paulo obscurius, inquit, significavit conclusionem argumenti, atque etiam, ut videtur, infirmavit nonnihil in illis: *quod non solet* etc. Neque enim ex eo, quod fieri soleat, sed ex ipsa rei natura et ex repugnantia haec ducitur ratiocinatio: *Dicis te ideo tali esse animo, quia tibi prosit esse; at is animus in eo ipso positus est, ut,*

etiamsi nihil ad te veniat, amicum bonis affici velis; itaque si, quia prodest, tali animo es, non es tali animo, sed videris tantum. In his virum praestantissimum non ita, ut solet, interpretis munere functum videas: qui quidem, ut aliquam, quae probari posset, sententiam extorqueret, artificis usus est minime probandis. Nam et ordinem rerum paullo immutavit illis „at is animus in eo positus est, ut, etiamsi nihil ad te veniat, amicum bonis affici velis” eo loco interjectis, quo non sunt, quae respondent in auctoris verbis, posita: et, quod multo minus ferendum, vim verbis intulit aliter interpretando ac ratio fert verborum. Etenim illis ipsis verbis, quibus quod difficillimum in hac oratione est „*Immo videri fortasse. Esse enim, nisi eris non potes*” maxime explicatum voluit, vide quantum deflexerit ab ea oratione, quae ipso probante in omnibus libris est, cui quidem interpretando diversam omnino substituit. Nam quod sic interpretatur: (itaque) si, quia prodest, tali animo es, non es tali animo, sed videris tantum: primum intelligendum est, illi *Immo videri fortasse* pro arbitrio substitutum esse *Immo videris aut videare fortasse eo animo esse*, quo omnis sententiae ratio mutatur. Nam illud *Immo videri fortasse* hanc vim habet, *Immo prodest fortasse (non esse eo animo, sed) videri eo esse animo*: quam veram horum verborum vim si teneas, omnem Madvigii interpretationem concidere apparet. Nam hunc post illam protasin suam, „si, quia tibi prodest, tali animo es,” ut accurate et recte verba interpretaretur, hanc oportebat apodosin facere: „prodest tibi non esse tali animo, sed fortasse (prodest) videri (tali animo esse)”: quo in promptu est nihil posse absurdius esse. Omnino autem viro prudentissimo in hoc loco sane intricato accidisse videtur, ut etiam minus obscura parum dispiceret. Etenim nec illud recte factum, quod protasin isto modo constituit „*si, quia prodest, tali animo es.*” Ratio postulabat: „Quod tibi prodesse ais tali esse animo, equidem nego esse tali animo prodesse, sed fortasse prodesse dico videri tali animo esse”. Praeterea *fortasse* vocabulum in Madvigii interpretatione omnino omissum est, quod ei sane incommodum erat.

Verum quum in hac hujus orationis parte *Immo videri fortasse* Madvigii interpretationem nullo modo probari posse docuerimus, eam quae in reliquis est difficultatem nobis ne tetigisse quidem vir praestantissimus videtur. Nam nihil omnino admonuit de incredibili perversitate, quae est in verbis *Esse enim, nisi eris, non potes*: quae legenti facile in mentem venerit nobile illud fortissimi ducis praeceptum: *ihr müsst nicht bloss tapfere Soldaten sein, sondern auch wirklich sind.* Sed hoc certe risum movet soloecismo Pomerano, illud merum stuporem. Nam dementia captus merito videatur, qui dicat: *Pluere, si non pluēt, non potest*: quo illud nulla parte minus vitiose

dictum est. Videlicet his idem positum est, ubi duo posita oportebat diversa: posita enim re quae conditione quadam eveniat, deinde eadem res ejus loco, quae contineat eam conditionem, apposita est. Nimirum non multum illud differt ab hoc: non pluit, nisi pluit. Eo autem, quo ab hoc differt, vitium nec tollitur nec minuitur, quin partim etiam augetur. Non tollitur aut minuitur adjecto posse verbo in hunc modum, pluere, nisi pluit, non potest: augetur vero tempore futuro inepte adhibito in conditione, pluere, nisi pluet, non potest. Atque hoc, quod postremo notavimus vitium vel maxime urgendum putamus in ipsis illis verbis, de quibus haec disputamus. Nam quod in illo *Esse enim, nisi eris, non potes* altera pars futuro tempore habet *eris*, eo etiam ex forma verborum manifestum fit vitium scripturae. Quippe scriptum certe oportebat *nisi es* aut *nisi sis*; quorum tamen neutrum eam, quam Madvigius voluisse videtur, vim habere posset, ut esset „nisi vere sis,” quum minorem vim haberet prius *Esse* verbum. Nam ratione aliqua futurum tempus non esse positum in promptu est, quoniam hoc sensu caret: esse nunc non potes, nisi posthac eris.

Verum tempus jam est promere, quomodo corrigenda nobis oratio videatur. Rescribendum enim putamus: *Et prodest, inquit, mihi eo esse animo. — Immo videri fortasse. Esse enim, nisi videris, non prodest. Qui autem esse poteris, nisi te amor ipse ceperit etc.*

Audaciam non vereor ne accusent, qui et valde haec corrupta esse persuasum habeant, et spinosum hoc disputandi genus quam facile fallere potuerit animadvertant. Videtur autem jam in archetypo codice corrupta fuisse scriptura. Et primum quidem verba *nisi videris* obscurata syllaba *vid* abiisse videntur in *nisi eris*. Tum vero eorum quae sequuntur verborum comparatio fefellisse videtur: sive lector haud indoctus, quum verba *Qui autem esse poteris* ad proxima *Esse enim . . . non prodest* referri putaret, consulto haec mutavit, ut recte sibi responderent *Esse . . . non potes* et *Qui autem esse poteris*; sive implicatus librarius in spinosiore oratione cumulatis his *esse potest* et *esse prodest* formulis temere ab altera ad alteram aberravit.

Plus autem interest, ut hanc veram correctionem esse doceamus, quam ipsa haec disputatio postulare videatur. Demonstraturus est auctor, in Epicuri doctrina nusquam locum esse amicitiae, idque ita evincit, ut amorem eum, quo omnis contineatur amicitia, sejunctum esse doceat ab omni spe utilitatis: cujusmodi amorem quum nullum norit Epicurus, qui sapientem omnia ad utilitatem suam referre dicat, apparere vult, ab hoc omnem sublatam esse amicitiam. Itaque proficiscitur a definitione amoris, in qua omnis haec nititur demonstratio: amicum enim alterum ipsum amare propter ipsum dicit; amare autem nihil aliud esse, quam velle bonis alterum affici quam maximis, etiamsi

ad se nihil ex iis redeat. Hinc *διὰ λόγισμῶν* usus objicientem facit Epicureum illud *Et prodest mihi eo esse animo*. Quod primum accurate videndum est quomodo dictum videatur, quoniam pendet hinc omne de iis quae sequuntur iudicium. Scilicet Epicureus primo non audet negare recte definitum esse amorem; sed ut vel sic utilitatem quandam cum amore amicitiae conjunctam esse defendat, id ipsum sibi utile esse dicit, eo esse animo, ut alterum bonis velit affici quam maximis, etiamsi ad se nihil ex iis utilitatis redundet. Quod si quaerimus quomodo videatur dici potuisse, primum in promptu est, utilitatem cum benevolentia sui commodi negligenti conjunctam hoc loco non licere honestam illam intelligi, qua animi virtus augeatur; vetat enim Epicureorum ratio: sed necesse est, quum Epicureus prodesse sibi talem benevolentiam dicat, utilitatem cogitari in iis commodis positam, quae aliquo modo ad corporis voluptatem pertineant. Atqui hujusmodi utilitatem jam quaeritur quomodo Epicureus dicere possit se ex eo percipere, si tali sit animo, ut alterum bonis velit affici maximis, etiamsi ad se nihil ex iis redeat. Hoc vero, si quid video, non potest nisi hoc uno modo intelligi, ut sentire Epicureum existimandum sit, illam animi benevolentiam sui commodi negligentem tanta amicam admiratione affecturam esse, ut is ultro hominem ita sui amantem quovis modo juvare velit. Itaque illud *Et prodest mihi eo esse animo* explicatius dici potuit his additis, si quidem ipsa ea animi benevolentia mea, mei commodi negligens, alterum, cui ita bene velim, movebit, ut ultro mihi prodesse cupiat, etiamsi ipse id non sequar. His vero ita constitutis jam patefactam viam habemus ad explananda ea quae sequuntur. Et primum quidem quod proxime respondetur *Immo videri fortasse: esse enim, nisi videris, non prodest*, plenius ita dici potuisse intelligitur: Quod tu tibi prodesse dixisti eo esse animo, non recte dixisti. Nam fortasse prodest videri eo animo esse: ipsum esse eo animo, nisi videris esse, non prodest. Quorum ut plane intelligatur sententia, primum refert animadvertere, *videri eo animo esse* ita esse positum, ut sit si alteri, in quem eo sis animo, videaris esse eo animo. Deinde autem auctorem hoc dicere in promptu est: „Quam Epicureus ex benevolentia illa se praedicaverit utilitatem capturum esse, quoniam ultro alter propter ipsam eam benevolentiam ad se juvandum propensus futurus sit, eam utilitatem ex ipsa, quae in animo sit benevolentia, nullam posse percipi, sed fortasse quandam e specie, quam prae se ferat, talis benevolentiae: quippe nisi alter viderit ejus speciem benevolentiae, fieri non posse, ut moveatur ea, quam esse nesciat, benevolentia; sin viderit, fortasse eventurum, ut cognita benevolentia ad juvandum hominem ita in se benevolum propensus fiat. Denique omnem illam, quam Epicureus utilitatem objecerit ultro redituram e benevolentia liberali suique commodi negligenti, non ad ipsam eam benevolentiam (ad ipsum

esse tali animo), sed ad speciem pertinere benevolentiae (ad id, ut alteri videaris tali animo esse), quam etiam simulari posse intelligitur." Hujus igitur summam disputationis breviter et acute auctor complexus est illis verbis: *Immo videri fortasse. Esse enim, nisi videris, non prodest.* In quibus jam apparet contraria esse comparata in hunc modum: A. Et prodest mihi talis animi benevolentia. B. Immo species prodest fortasse. Nam ipsa benevolentia, nisi species accedit, non prodest. Aut, ut alio modo utamur: A. Et prodest mihi ita esse benevolum. B. Immo videri fortasse ita esse benevolum. Nam esse benevolum, nisi alteri videaris benevolus esse, non prodest, quoniam ad te juvandum movere alterum non potest.

Sed ne nunc quidem dimittere hunc locum licet. Superest enim, ut explicetur, cum his, de quibus modo disputatum est, verbis quomodo convenire videantur quae sequuntur *Qui autem esse poteris, nisi te amor ipse ceperit, quod . . . nascitur*: quod nisi plane sit demonstratum, omnis hujus loci explicatio ita claudicaverit, ut etiam de iis, quae jam extricata videbantur, denuo suboriri possit dubitatio. Intelligendum est igitur in illo, quod ab Epicureo objectum est, *Et prodest mihi eo esse animo* duo deinde reprehendi diversa, quae sint leviter et temere judicata; quorum alterum continetur verbis *Immo videri . . . non prodest*, alterum iis quae sequuntur *Qui autem esse poteris . . . sponte nascitur*. Et prior quidem reprehensio eo pertinet, quod prodesse dictum sit esse tali animo: nam utilitatem non ita percipi, si sis tali animo, sed ita, si videaris esse alteri. Altera reprehensio eo spectat, quod Epicureus, quum dixerit *Et prodest mihi eo esse animo*, illud ipsum esse eo animo sibi arrogare ausus sit; nam tali animo quum esse non possit, nisi quem amor ipse ceperit, liberalis ille et ab omni utilitatis spe alienus, non cadere omnino, tali ut possit animo esse, in Epicureum, hominem quamvis callidis rationibus omnia utilitate sua metientem, qui quo amore utilitates sequatur, eum nullum esse. Praeterea inter utramque reprehensionem hanc videre licet rationem intercedere, ut priori leviolem paullo errorem auctor correctum voluerit, altera sublatum maximum. Quae magis patebit ratio in hunc modum declarata: „Quod prodesse tibi dixisti eo esse animo, primum non esse dicendum erat, sed videri: sed ut hoc concedamus, tu esse eo animo omnino non potes." Nam ita haec duo ab auctore discreta esse, etiam verborum collocatio horum monere videtur *Qui autem esse poteris*: quae si confusa cum proximis *Esse enim . . . non potes* voluisset, scripsisset *Esse autem qui poteris*. Nunc illa hanc vim habent: *Deinde qui esse poteris*.

Denique tria praeterea attingam, quae ad scripturam pertinent. Primum in illis *Et prodest, inquit, mihi eo esse animo* quod a Madvigio *Et scriptum*

est optimorum librorum auctoritate, nolim equidem hanc deseri, quamvis arri-
deat *At prodest*. Nam illud non differt, nisi quod remissioris speciem habet
sermonis. Quodsi gravius loqui auctori placuisset, etiam alio modo orationem
aucturum fuisse credo, *At prodest mihi illud ipsum, eo esse animo*. —
Deinde in verbis *Esse enim, nisi videris, non prodest* non mirabor, si cui au-
genda correctio nostra videatur hoc modo *Esse enim, nisi videris, prod-
esse non potest*. Nos in eo, quod commendavimus, acquiescendum putamus.
— Denique ne levitatis incusemur, qui quod in proximis offendere videatur
praetermiserimus, profiteamur, etiam quod sequitur *At enim sequor utilitatem*
suspicionem movere. Scribendum videtur *At enim sequitur utilitas*, quod ne-
scio an ipsum arguat quod deinde in refutatione refertur *Manebit ergo amici-
tia tam diu, quam diu sequetur utilitas*: nam parum credibile est, continuo
ita diversa vi auctorem sequendi verbum posuisse. Praeterea quum modo
reprehensum in Epicureis sit, quod *subducant utilitatis rationem*, hoc est
callide sequantur utilitatem, nonne inepte hoc tamquam diversum sub-
jiciatur *At enim sequor utilitatem*? Contra apte objectum erit: *At enim se-
quitur utilitas*, hoc est, quamvis ipse eam ne quaesierim quidem. Quod quam-
quam, ad vivum si reseces, non multum differet ab illo quod ante objectum
est *Et prodest mihi eo esse animo*, tamen tantum differre videtur, ut Epicureo
parum acuto tanquam diversum tribui potuerit.

Alter locus est lib. V. cap. 27., ubi laudata Stoicorum constantia com-
parat auctor inconstantiam Epicureorum. *Dixerit hoc idem Epicurus, semper
beatum esse sapientem; quod quidem solet ebullire nonnunquam; quem qui-
dem, quum summis doloribus conficiatur, ait dicturum: Quam suave est!
quam nihil curo! Non pugnem cum homine, cur tantum habeat in natura
boni: illud urgeam, non intelligere eum, quid sibi dicendum sit, quum dolo-
rem summum malum esse dixerit*. Offendunt in his verba *cur tantum habeat
in natura boni*. Madvigius, quamquam fortasse aliquid mendi esse suspica-
tur, certe intelligi orationem posse existimat: nobis secus videtur. Interpreta-
tur ille: Non pugnem cum homine ita, ut quaeram, cur in natura
tantum boni esse statuatur (ut beata vita inter cruciatus constare
possit). Quamquam vel sic ei oratio displicet dupliciter, tum quod *habeo
tantum boni in natura* minus recte dictum videatur pro usitato in natura
esse iudico, tum quod *naturae* nomen nimis infinite sit positum, siquidem
humanane an universa intelligatur, non appareat. Denique corrigi vult *Quid
tantum etc.*, in hanc sententiam: quodnam tantum bonum in natura re-
rum reperiat, quo id efficiat. Nobis certum est ipsum *naturae* vocabulum
corruptum esse. Quamquam enim non ignoramus, quantum ab Epicuro sit na-
turae tributum, cujus e fonte fere omnem doctrinam suam haustam dixit, in

hac oratione naturae commemorandae nec universae nec humanae aut Epicuro propriae ullum posse locum esse arbitramur. Sed cogit Madvigii auctoritas, antea de hujus sententia ut videamus. Is igitur quam primo explicationem hujus loci commendavit, ea ita demum probari posset, si, quemadmodum *locupletare* Epicurus docuit *sapientem ipsam naturam* (lib. II. cap. 18.), ita eum dictitasse constaret, naturam vincere dolorem aut eam vim habere, ut asperitatem doloris converteret in suavitatem. At doloris ille fomenta non naturam censuit afferre, sed sapientiam, quae doceret, *magnum dolorem brevem, longinquum levem esse* (lib. II. cap. 29.), tum *praeterita jucunde ac suaviter meminisse* (lib. I. cap. 17. 19.), ut *compensaretur eum summis doloribus animi laetitia* (lib. II. cap. 30.). Videtur vero omnino hoc inepte dici, esse in natura, quo dolor gratus et suavis efficiatur. Quamquam enim homo non tantum patiando fortiter et tolerando vincere vim doloris potest, sed etiam opinione detrahere multum de asperitate doloris adeoque, quum corpus dolet, omisso doloris sensu suavitatem quandam animo percipere defixa mente unice in cogitandis rebus bonis et laetis: quis est, qui hoc ipsum aut quod huic simile sit, recte et ut intelligi possit sic credat dici posse, in natura hominem multum habere boni. Atque hanc ineptiam nulla parte minorem fore arbitramur mutata oratione ita, ut postremo suasit Madvigius, *quid tantum habeat in natura boni*: in quo manet praeter obscuritatem verborum aliena ista naturae commemoratio. Denique incredibile hujus vocabuli ineptia, quae, quoquo te vertas, omnem hanc orationem non obscuram, sed inexplicabilem efficit et absurdam, satis persuadere debet, corruptum id ipsum vocabulum esse.

Correctionem autem vitii quaerentibus maxime animadvertendum est, eo loco, quo nunc *natura* est posita, non necesse esse rei bonae fuisse nomen positum, quae aut ipsa vinceret vim doloris aut remedia afferret doloris talia, quibus hujus asperitas adeo in suavitatem converteretur; sed posse eo loco ipsius doloris aliquod fuisse vocabulum, ut post laudatam suavitatem doloris cum irrisione quaereretur, cur tantum haberet in dolore boni, ut eum adeo suavem appellaret, quem quidem mortales omnes clamarent rem unam esse amarissimam. Itaque hoc ipso modo si in bonis libris scriptum esset: Non pugnem cum homine, cur tantum habeat in cruciatu boni, neminem fore puto, quin id recte et apte dictum judicaret. Quippe optime concinerent omnia in hunc modum: Quod Epicurus semper beatum esse dicit sapientem, quem quidem, quum summis doloribus conficiatur, ait dicturum *Quam suave est! quam nihil curo!*: non contendam equidem nunc, quo tandem pacto tantum habeat in istis summis doloribus boni, ut, iis quum crucietur, etiam suaviter se moveri dicat; id quod contra communem omnium sensum est, dolorem esse rem suavem: unum illud urgeam, incredibilem esse hominis inconstantiam, qui suavitate gloriantem inducere audeat sapientem ejus rei, in qua summum

malum esse dixerit. — Verum illud ipsum *in cruciatu* scriptum ab auctore fuisse, parum credibile est: nam ut mittamus id haud videri ita facile corrumpi potuisse. merito suspiceris ejusmodi fuisse vocem, in qua aliquid inesset acuminis, et fortasse ex ipsius Epicuri dictis sumptam: quippe quod post Epicuri verba *Quam suave est! quam nihil curo!* objiciendi causa positum est, fere hanc speciem habere videtur: Non pugnem, cur tantum habere sibi videatur in isto, quod praedicat, boni. Atqui in hanc viam ingressi ad certum finem ut perveniamus, peropportune duces occurrunt optimi complures alii loci, quibus idem ab auctore dictum Epicuri plenius refertur. Est in Tusculanis disput. I. V. c. 26. *An Epicuro... dicere licebit... nullum sapienti esse tempus, etsi uratur, torqueatur, secetur, quin possit exclamare „Quam pro nihilo puto! etc.”* — Tum ejusd. op. I. II. c. 7. *Epicurus vero eam dicit, ut mihi quidem risus captare videatur. Afirmat enim quodam loco, si uratur sapiens, si crucietur, — expectas fortasse dum dicat, patietur, perferet, non succumbet: . . . sed Epicuro, homini aspero et duro, non est hoc satis: in Phalaridis tauro si erit, dicet Quam suave est hoc! quam non curo!* Et in iisd. disput. lib. V. primum idem refertur cap. 10, deinde cap. 26. §. 75. hoc est: *Me quidem auctore etiam Peripatetici... clara voce audeant dicere, beatam vitam in Phalaridis taurum descensuram.* Atque in hoc ipso opere est I. V. c. 28. §. 85.: *sitne tantum in virtute, ut ea praediti vel in Phalaridis tauro beati sint.* Adeoque in foro illud, quod saepe urget, auctor commemoravit, oratione in Pisonem cap. 18. *Sed dicunt isti ipsi, qui mala dolore, bona voluptate definiunt, sapientem, etiamsi in Phalaridis tauro inclusus succensis ignibus torreatur, dicturum tamen, suave illud esse seque ne tantulum quidem commoveri.* His igitur comparatis maximeque iis, in quibus est *si uratur sapiens*, facile conjeceris scriptum hoc loco ab auctore fuisse: cur tantum habeat, si uratur, boni. Certe obscurata si particula *uratur* verbum facile abire potuit in *natura*. Sed in hoc vel inelegans verborum compositio merito displicuerit. Nos sagacioribus omnibus ultro occurrere credimus, scriptum ab auctore fuisse: *cur tantum habeat in tauro boni*, hoc est, in Phalaridis tauro, in quo si esset sapiens, eum illud *Quam suave est! quam nihil curo!* jactaturum Epicurus pronuntiaverat. Hoc vero in tauro quo modo corrumpi potuerit, vix est quod quaeras. Videtur enim id non tam casu factum, quam infelici sapientia correctoris, qui quum non perspiceret, quid sibi vellet in hac oratione taurus, expulsa bestia quod aptum videretur restituendum duceret. At quibus auctor hominibus scripsit, iis Epicuri illam vocem celebratissimam omnibus ita notam fuisse existimandum est, ut, quum commemoraretur illud *Quam suave est! quam nihil curo!*, cum ceteris cruciatibus simul tauri meminissent Phalaridis, certeque nomine tauri apposito non alium quam Phalaridis taurum cogitarent.

Modo quum a typhotheta moniti essemus post ea, quae supra scripta sunt, fere paginae spatium vacuum fore, subjicere placuit carmen, quod nuper alias chartas quaerenti forte in manum venerat. Missum id erat aliquot ante annos ad amicum praematura morte filioi dilectissimi afflictum: qui quum latinis litteris de eo casu nos certiores fecisset admodum lugubribus, aequum duximus eadem lingua referre quae animus praeciperet solamina. Itaque piam animam filioi induximus ipsam luctum lenientem parentum. Tum vero, ut etiam conjux amici verba perciperet, cito in vernaculam linguam eadem translata adjecimus. Expolire jam non licebat: dabanius, ut primum fusa erant.

Pia animi ad patrem.

Parce, pater, lacrimis: non ultima, crede,
parentes

Alberto illa dabant oscula justa suo.
Quem frustra luges, vivo vigeoque beatus,
Exuviasque animi quam posuisse juvat!
Somnia nunc immortalis mortalia, spissas

Et lucis tenebras istius esse reor.

Unus splendet amor, quo vos aluistis amoris
Divinos puero perpetuo igniculos.

Ille per arva levat volucris caelestia
cursum.

Liberiusque ad vos usque volare sinit.
Sensistisne, boni, quum nuper amabilis
aurae

Flamina moestitiae leniter obstreperant?
Illa animam Alberti vestri libare putate

Oscula, mulcentem vulnera pectoribus:
Qualia jam clausis oculis reddebat, inanem

Quo planetum pietas tolleret alma piis.
Parce, pater, lacrimis, matrem solare do-
lentem:

Vester qui fueram, credite, sumque et ero.
Et veniet tempus, jamjamque videtur adesse,

Cui terrae ista nihil tempora tarda valent,
Quam et vestras vinclis animas exire jubebit

Has deus in sedes, quum volet, aetherias.
Illos amplexus nunc persentite beatos,

O pater, o mater, quos amor usque vocat.
Tum desiderium caelestia gaudia junctis

Aeterna explebunt, nec morituri erimus.
Interea pietas vitam tolerare docebit

Mortalem. Ite, boni, qua itur ad astra
via!

Das verkärte Kind an die Mutter.

Laß, o Mutter, die Thränen: nicht waren jenes die
legten

Küsse vom Elternmund ihrem Geliebten geweiht.
Den Du vergeblich beweinst, ich leb' in seliger Feier,
Und wie wohl ist dem Geist, daß er die Küsse gestreift!
Träume dünken mir nun, dem Verkärten, die irdischen
Dinge,

Nebel und Dunkel das Licht, welches den Sterblichen
scheint.

Eins nur strahlet noch hell, die Liebe, womit ihr der Liebe
Göttliche Funken genährt treu in der kindlichen Brust.

Sie macht leichter dem Fittig den Schwung durch die
himmlischen Fluren,

Und macht freier zu euch wieder hinab mir den Flug.
Habt ihr empfunden, ihr Guten, wie jüngst ein zauber-
sches Wehen

Euer trauerndes Herz lieblicher säuselnd umsing?
Eueres Alberts Geist umsing mit Spenden von Küssen

Euch, zu lindern den Schmerz in der verwundeten Brust:
Wie, als eben das Auge sich schloß, er die euern erwiedert,

Daß den Lieben die Pein löste der Liebe Gewalt.
Laß, o Mutter, die Thränen, und tröste den Kummer des
Vaters:

Euer war ich, und bin — werde der curige sein.
Und es naht die Zeit, und ist mir schon wie gekommen,

Da mir der zögernde Gang irdischer Zeiten verschwand,
Wo auch euern Seelen gebeut zu entfliehen den Banden

Unser Gott, wann er will, auf in die Reiche des Lichts.
Jener Umarmungen denket, der seligen, vollen Gefühles,

Vater und Mutter, wie euch ewig die Liebe benennt.
Dann wird himmlische Lust den Wiedervereinten das
Sehnen

Ewig stillen, und nicht rührt uns das Sterben mehr an.
Bis dann lehre der Sterblichen Loos ein göttlicher Sinn euch

Tragen. Ihr Lieben, getroßt wandelt zum Himmel die
Bahn!